



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Anatolia V. M. 9. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

S. ANATOLIA V. M. 9. Iulii.

Rectè liliū dixeris virginitatem, sed spinas
 easque plurimas inter. Vel ANATOLIA palàm
 id facit, pulcherrimi candoris & ipsa liliū, quod
 ubi carpere procius impudens desperavit, ex ama-
 tore hostis factus; Fidem apud Judicem accusa-
 vit, cujus castimoniam non potuit. Itaque ex ve-
 teri sed pessimo more in exilium virtus mittitur.
 Sed fallor. patriam putasses, ita in honore etiam
 ibi fuit. Etenim cū Diodori Viri Consularis fi-
 lius (Anianum dixerunt) à malo genio correptus
 sæpenumero discrucari ab ANATOLIA se clami-
 tasset, quin ruptis subinde vinculis ad illius pedes
 abjectus, missionem tandem accepisset, ilicet ea
 fama totum Piceni agrum pervasit, ut jam com-
 mune omnium morbidorum asylon virgo exul
 esset, jamque tam felix exilium invideret Decius,
 ideoque huic vincula, equuleos & flammæ super-
 adderet, quin etiam Audacem nobilem magum
 evocaret, qui immanem in virginem serpentem
 armaret. Sed pepercit hic virginitati, non item
 magistro suo Audaci, utpote in cuius collum ita
 invasit, ut nisi manum auxiliarem virgo tulisset,
 pereundum illi ab hoc collari fuisset; quam tamen
 sic Audax cervicem serpenti, Christianus postea
 gladio non subduxit, quo ANATOLIA denique
 etiam trajectu pudorem sanguine tinxit, hoc est
 liliis rosas miscuit. *Ex Surio.*

*Si nobis sputa, quæ sine peccato projiciuntur, horro-
 rem faciunt in vestibus nostris, putas cogitationes libi-
 dinose, quas diabolus ingerit, qualem horrorem faciunt
 Deo in animabus nostris? B. Cæsar. hom. 3.*